

LUGUBRE MUSARUM PEPLUM

Super Beata Analyfi

VIRI

MAGNIFICI AMPLISSIMI NOBILISSIMIQUE

DOMINI

Dⁿ. GEORGGII
HÜBENERI,

S. R. M. Poloniarum Burggrabij

Præ-Conf. Reipubl. Thorunen. & Protoscholarchæ,

A. O. R. 1700. d. 11. Novemb. vita & muneribus defuncti,

& die 21. Dormitorio illati, ipso Exequiarum die

inter Lessus & Suspiria repræsentatum

a

Tanti PATRONI cliente

GREGORIO FORK

Thorunensi.

Phil. & S. S. Theol. stud.



Thorunij in Typographia Magnifici & Nobilissimi Senatus.

Dum consecrata memoriæ Martini celebritas redijt, dumque usitato Majorum more solenni cantu peragitur, simul in auribus nostris resonat lugubre illud ac acerbum melos, quod de fatali obitu **MAGNIFICI HUBENERI** sparsus per Civitatem rumor ad eas detulit. Ingens dolor exulcerati temporis diritatem auget, atque attonita recenti luctu pectora acuto morsu lancinat & depopulatur. Durus sit, qui hoc casu non moveatur, quemq; nec pullata **PRO-CERUM** Civitatis Facies in societatem doloris adducere possit. Qui animo & scrutinio prudenti considerat mortem Magnorum Virorum, quosq; ut Atlantes venerati sumus, argumentum esse fortunæ ad ruinam declinantis, fatebitur ultro, & hunc lugubrem Magnifici Hubeneri ex hac vita excessum justum mœrorem nobis indixisse. Summus humanarum rerum Arbiter iussit eum ponere Corporis Exuvias, cum enim ejus indulgentiam commissa sine intermissione delicta fatigarunt, sua bona perpetua nobis esse non patitur. Non adducam omnem Titulorum & Munerum Pompam, sed saltem ingemiscente calamo ingeminabo, **PRO-TOSCHOLARCHAM** fato concessisse. *Protoscholarcham* deploramus, per quem suis studijs constitit honor, *Protoscholarcham* inquam, id quod nobis dedit largam doloris materiem. Multa erant Supremi Numinis Charismata, quibus Hubenerum muneribus & vita defunctum conspicuum esse voluit, & singulariter ornatum, quem enim Providentia Numinis ad Gubernacula Patriæ Civitatis admovere decreverat, concessas a natura dotes mox ab ineunte ætate ita perfici voluit, ut fieret regiminis capax, & scientiæ scientiarum, quæ cæteras non minus præstantia, quam difficultate supergreditur, quæ fortunas Civium salubriter atque ex æquo dispensare docet. Verum oratio mea multo inferior est tanto virtutum & laudum cumulo, nec potest bene gestorum vestigia passibus æquis sequi. Igitur esto aliorum munus, paria factis præconia meditari, Tutelam illam, qua Musas *Protoscholarcha* excepit & fovit, intuebor, oculo quamvis ad hos radios caligante. Forte illa nutritia Aonidum cura *Protoscholarchæ*, si

repe-

repetita fuerit intra animum, superesse adhuc aut saltem occasus ejus differri videbitur, imo averruncari, cum tam laudabilis, tamque sancta nec satis digne deprædicanda virtus occidere non possit. Memores beneficiorum Musæ mori vetant. Regia est, quæ plus vice simplici non saltem Consularem Purpuram ornavit, verum & cum sanguine Regio misceri voluit. Multi Principum, cum armis essent honestati, existimarunt non indignam esse Regio fastigio Gloriam, studiorum florem promovisse. Marte & Arte Principes, quibus hanc Gloriam Musæ retulerunt, ut memoria eorum a communi oblivionis lege exempta sit, ipsique adeo inter mortales immortales esse possint. Philippus Macedonum Rex & fatalis Græciæ Triumphator, juvit opulentia sua Philosophorum conatus, ejusque auspicijs Aristoteles, Philosophorum sui seculi Phoenix, præclara de animalibus volumina condidit. Prodidit hæc memoriæ Ælianus, a quo plerosque veterum dissentire scio, qui Alexandro M. in acceptis referunt, quæ Ælianus Philippi munificentia tribuit. Id expeditæ veritatis est, quod inter elogia Alexandri non tantum arma per orbem circumlata referantur, quibus ille vastissimas Orientis opes aggressus est, sed & favor ingenuis exhibitus & decreti Philosophis honores. Homerus ei fuit in pretio, cumq; Thebas vastaret, noluit ædes Pindari, Poætæ Lyrici, igne absumi, qui tamen cætera tecta incendio populatus erat. Iuvit conatus Stagiritæ, idq; effecit, ut absolutæ subtilitatis Philosophus tantum cæteros anteiret, quantum ipse Alexander cæteros in Græcia Duces & Reges supergressus erat. Munera quæ & Eleo Pyrrhoni & Xenocrati obtulit, ingentia sunt & tanti Monarchæ fastigio paria. Alexandria, Metropolis Ægypti, opus Alexandri, in antiquis Annalium monumentis celebratur, non tantum quod Mercatoribus hospitium præbuerit, sed & quod Musas benigne exceperit. Mercurij & Musarum in ea certamen fuisse dixeris. Claruit in hac Metropoli Museum, inde Alexandrinum nuncupatum, in quo Viri docti eruditæ meditationibus vacabant, & quibus munificentia Principum subsidia vitæ destinaverat. Nomen vero Ptolomæi Philadelphi im-

A 2

mor-

mortale est, quem Musei Alexandrini Conditorem esse affirmat Henricus Vallesius, in Annot. ad Amm. Marc. Hunc autem singularem studiorum Promotorem fuisse, nemo est qui ignorat. Dionysio Siciliae Tyranno saevitia & crudelitas in perennitatem famae cessit, ea Gloria, qua Herostrato incendium Templi Dianae, hoc tamen nomine laudandus, quod Platonem sapientiae Antistitem in honore & pretio habuerit. Poterant & ex recentiori aëvo produci Musarum Protectores, quos sileo, cum illustria nomina lucis meae non indigeant. Hoc modo Generosum HUBENERI pectus animatum erat atque de bono publico merebatur, cui cadentibus studiis ruinam imminere & Barbariem prudenter judicavit, in primis priorum temporum fata revolvens. Rem bene gessit PROTOSCHOLARCHA, suoque Umbone dignatus est Musas Thoruniensis Parnassi, per Eum honor studijs duravit, & vel hac sola cura Nomen suum aeternitatis cedro consecravit. Jamque quo majus erat bonum, quo nos vivus beavit, eo grandius vulnus esse intelligimus, quod ejus obitus nobis inflixit. Florebant Musarum laurus, nunc in lugubres cupressus conversae, adeo & in ipso Parnasso comploratum est. Me certe, qui Tuorum clientum minima pars fui, Tuus abitus frangit & debilitat. Non ita multi soles abiire, ex quo Splendorem Tuum, o PROTOSCHOLARCHA coram veneratus sum, ubi animadverti post Deum in Tuo etiã Patrocinio felicitatem meam fundandam fuisse. Volebas scilicet necessitatibus meis misceri & auxiliij indigo Praesidium esse. Supremum vero Numen pro sua voluntate res nostras moderatur, Teque Fasces deponere voluit, unde spes mea lapsa esse videtur, & vota ac suspiria, pro Tua salute nuncupata, aliter, quam optavimus, ceciderunt. Iustus ergo dolor, Reipublicae Navigium Palinuro Musas Mæcenate, me Evergeta esse orbatum. Veruntamen, Caelum adhuc volvitur. Deus rebus nostris interveniat, cujus Gratia Successores Antecessorum æmulos excitat. Ita excipit Mosem Iosua, Eliam Elisæus, Davidem Salamo. TIBI jam o BEATE PROTOSCHOLARCHA, ultimum pietatis officium exsolvo, nec tam thure quam mola falsa lito. Nec mihi erit vitio, eo Te modo colere, quo possum. Requiesce in Domino, post exantlatos varios labores, recubent ossa molliter. Nec ingrata oblivio, nec diuturnitas temporis destruet Colossos, & monumenta, quos Tibi Virtus posuit. DEUS, cui res nostrae curae sunt, inclinatam Patriae salutem erigat, & Magnificorum Patriae PROCERUM consilia antevenire & subsequi dignetur, sic constabit Fascibus Splendor, perennabit Civitatis salus, & studiis honor durabit. Sic in salute Procerum, quæ publicae felicitatis compendium est cujusvis propria felicitas invidendis successibus efflorescer.

Inscriptio Sepulchralis.

*C*lauditur angusto tumulatus marmore Consul,

Cujus vix famam Lechica Terra capit.

Cujus Thorunium sese jactavit Honore,

Hic jacet, Hic nobis non nisi morte gravis.

Et cum non data sit rebus perfectio nostris,

Longior huic tantum vita negata fuit.

Ast consummatus postquam nunc morte triumphat,

Jam data per mortem vita perennis ei.